

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Bernhardo Eritio S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

sententias eruditissimi Lutheri, de quibus disputa-
uimus his diebus. Dabis etiam exemplū D.D. Plet-
nero. Vale.

Guilmo Reiffenstein, Guilhelmi
filio, S. D.

Literis tuis, mi Guilhelme, non eo tantum dele-
tatus sum, quod habebant egregiam amoris er-
ga me tui significationem: sed etiam, quod erant di-
ligenter & eleganter scriptæ. Itaque te adhortor, ut
quod facis, in hanc rationem studiorū & exercen-
di styli incūbas. Mea opera tibi, si quid modò præ-
stare potero, non defutura est. Quid uideatur mihi
de aduentu ad uos uestro, scripsi Marcello. Et
Lipsiæ animaduerti patris tui, uiri optimi, senten-
tiam cum mea congruere. Non solum ad uestra stu-
dia, sed etiam ad Rempublicam pertinet, honestos
adolescētes frequentiam scholæ augere, *ὡς ἐστὶν ἀ-
νθρώποις τὰ λόγια τῆς φιλοσοφίας ἐπαγγελία* -
μολοῖς τὰ λόγια τῆς φιλοσοφίας ἐπαγγελία. Vobis etiam
honestum est, conspici' in turba eruditorum, cum
quadam uirtutis opinione. Vale.

Bernhardo Eritio S. D.

Magnam mihi uoluptatem attulerunt tuæ litē-
re, in quibus & amoris erga me tui significatio ex-
tat, & studiorum commemoratio. Sed multo ma-
gis

gis me delectauit ornatissimi uiri D. Guilhelmi testimonium, qui te, cum essemus Lypsiae, honestissimis laudibus ornauit, quas etiam aliqua ex parte ad me pertinere iudicarem: tamen tua magis quam mea gloria delectabar. Itaque te adhortor, ut omni studio des operam, et honestorum hominum iudicia de te tuare. Quod ut facias, et oro Christum: et non aliter opto, quam si ex me natus esses. Deo uolente, hac hyeme institutum opus Anatomicum absoluemus, praesertim in hoc secessu. Aliquoties hic disputauimus, ubi tuum ingenium etiam requirimus. Sodales tuos amater meis uerbis saluta. Vale.

Et genere nobili, & literarum cognitione praestanti, N. à N. amico suo,
S. D.

Delector tuo officio, mi N. quo de successu tuo ac studijs tuis ad me scripsisti. Agnosco enim ea in re tuum erga me amorem: quem, quia de tuo ingenio bene et amanter sentio, facio plurimi. Ceterum de migratione leges nullae impositae sunt auditoribus. Quare ego quidem facile patior ijs in locis te uersari, ubi poteris quam commo distime uiuere. Illud tibi enim opto, ut sodalitiū habeas literarium, qui cum oblectes et exerceas ingenium foelicissimum. Quod si pergis excolere, polliceri tibi ausim, te et tibi et patrie ornamento futurum esse.